DISSERTATIO MEDICA

DE

FEBRE PUTRIDA MALIGNA,

QUAM Deo duce & auſpice Dei-parâ, pro primâ Apollinari Laureâ conſequendâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

PETRUS BOUSSION, ex oppido Lauzun, Diœceſis Aginnenſis, apud Aquitanos, Artium Liberalium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die menſis Decembris anni 1774.

»Sequimur probabiliora;
»Nec ultrà quam id quod veriſimilè occurrit,
»Progredi poſſumus, & refellere ſine pertinaciâ;
»Et refelli ſine iracundiâ parati ſumus.

CICER. Tuſc. II.

MONSPELII;
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXIV.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D.

JOANNI-FRANCISCO DE MARBOTIN,

EQUITI,

IN SUPREMA SENATUS BURDIGALENSIS CURIA REGIO SENATORI AMPLISSIMO,

BARONI DE LEGE IN BUCH,

ET ORÆ MARITIMÆ D'ARCACHON,

DOMINO DE MAISON NOBLE, DES EYQUEMS, &c. &c.

VIR ILLUSTRISSIME,

QUID optatius unquàm, mihi, contigere poterat, quàm Tuo Celſo nomine, iſtam diſſertatiunculam, te annuente condecorare; nihil honorificentius cùm gratos animi ſenſus quos tibi debeo palam profitendi, vota explendi, & tibi, hocce tenelli mei ingenii ſpecimem conſe-

crandi, detur occaſio. Jure ergò me ipſum felicem appellare poſſum, cui tandèm optatus ille jamdudùm dies illuxit, planè ut cognoſceres quanti te, quanti tuos, quanti tua, ut debeo faciam. Si verò de tuâ peritiâ, ac prudentiâ in rebus gerendis, de comitate illâ ſingulari, quâ nulli ad te aditus intercluditur, de pietatis calore, juſtitiæ zelo, virtutis ſtudio mihi dicendum foret, quantus mihi laudum objiceretur campus. Sed cum virtus ſpectata commendatione non egeat; & prætereà te laudum promerendarum non occipiendarum ſollicitum noſcens, modeſtiæ tuæ morem gerens conſultius habui hæc omnia ſilentio prætermittere. Quocircà has lucubrationes, etſi levidenſe munuſculum ſereno vultu accipias velim, in publicum æternum venerantiæ, obſervantiæ, gratitudinis monumentum. Faxit *Deus optimus maximus, ut diutiſſimè vivas ſoſpes atque incolumis, & quò parens gaudet patrocinio, eò filium beare non graveris. Tanti favoris memoriam ſemper gratus ſervabit,*

VIR ILLUSTRISSIME,

Humillimus, devotiſſimus, atquè addictiſſimus ſervus,

PETRUS BOUSSION.

Dabam Monſpelii, Decembris die anni 1774.

DISSERTATIO MEDICA

DE

FEBRE PUTRIDA MALIGNA.

I.

MALIGNUS dicitur morbus, apud varios Auctores, quem pejora pro ſuæ eſſentiæ ratione ſymptomata comitantur, ſeu ut Galenus libr. 1. prorrect. tom. 14. habet, maligni morbi hi appellantur, quicumque periculum minantes ſpem ſalutis non adimunt. Vulgus Medicorum & vulgus hominum eas vocant malignas febres, quæ variis graviſſimis ſtipantur ſymptomatibus, ruuntque in deterius. Alii febres malignas nuncupant, quæ invadunt cum ſpontaneâ virium proſtratione, cujus ſymptomata non reſpondent ſtadiis morbi; nec reſpondent ſignis externis, ut calori, urinæ, pulſui, &c. Alii febres malignas appellant quæ acutæ & contagioſæ ſunt, in quibus principium vitale ſubtiliſſimam quamdam materiemque corpori noſtro repentinam perniciem minatur, motibus febrilibus, indoli materialis noxæ, ſatis accommodatis aliminare atque hâc ratione præceps periculum avertere intendit. Ab illis nuncupantur tantùm febres malignæ, quæ ex propriâ ſuâ indole & conſtanter malignæ fiunt; unde ab aliis febribus, quæ per accidens mali moris obſervantur, bene diſtinguendæ ſunt; ab iſtis tales habentur in quibus intenſioris præ cæteris inflammationis gradus conſpicitur &c... Quid ſit intelligendum per febres malignas ex intricatiſſimis, tum veterum, tum recentiorum ſcriptis vix definire licet: dicimus tamen cum *Sennerto*, febres malignas in principio ſtatim cognoſcere difficile eſſe, cum malignitas ſæpè diù lateat, & non niſi ubi vires ſumpſit, ſeſe prodat (1).

(1) V. Sennert. epit. de febr. lib. IV. cap. 10.

II.

Rejectis idcirco omnibus hypotheſibus, quæ in libris circa febris malignæ definitionem reperiuntur, unicam tantùm febrem malignam, pluresque non eſſe, ut autumant plerique Auctores, contendimus. Symptomata verò & hujus-ce morbi accidentia ſunt diverſa & maximè complicata, uno verbo inaſſueta (1). Febris iſta in ſuâ eſſentiâ aut realiter in ſe ſpectata, videtur nobis affectus graviſſimus, ex illis quos experiri poteſt corpus vivens, ſive in principio illud animanti, aut in principio vitali (2), ſive in contextura ſolidorum, liquidorum conſtitutione, vel *craſi*; unde in excretionibus perturbatio notabilis, ſummaque difficultas oritur. Itaque circa malignitatem non poſſumus quin nobis arrideat ſententia Sthalii, qui febris malignæ eſſentiam ponit in ſummâ difficultate in organis conſuetas excretiones inſtruendi.... Unde juſtarum & debitarum, periculoſæ materiæ, etſi mole paucæ, exonerationum ſucceſſus impeditur; ita ut actiones vitales ſtatim perculſæ, perturbatæque à priori, magis ac magis in ruinam vertunt à poſteriori, humorum ac organorum ſecretoriorum & excretoriorum depravatione, aut gradariâ alteratione (3).

III.

In veris malignis, legitima malignitatis verba ſat benè ſtatuere apparet iſta definitio; quod art. 2. ſuperaddimus, non ſeparamus. Illud enim *Sthalii* opinionem confirmat. Re verâ in hoc diro morbo Principium vitale, ſive tonus, aut nervorum motus, aut generaliter dicend ſenſibilitas, modò organorum propriâ ſubſtantiâ ac humorum conſtitutione, ut videre eſt in virium *oppreſſione*, magis videtur laceſſita, modò è contra principio vitali ut in virium *exſolutione*, ſolida in contexturâ (ſpecialiter text. cellul.) & fluida in conſtitutione vel mutuâ permixtione, magis tentata videntur: modò in generale vaſorum ſyſtema magis diffundi, modò primas vias & loca vicina magis inficere apparet extrema ſemper ſequens putredo. Aſt verò in hiſce omnibus caſibus difficultas aut inutiles naturæ conatus ad excretiones, aut ſaltem ad materiæ venenoſæ expulſiones, ſeu per ſpaſmum, ſeu per quemcumque motum in inſtrumentis organicis irregularem facilè concipiuntur. Hæc omninò referri poſſunt ad febrium diviſionem traditam à quibuſdam auctoribus; in *Malignas Putridas* aut *Putridas Malignas* & *Malignas Nervoſas*; ſic etiam ad ſubdiviſionem ab aliis factam nempè

(1) Sic etiam unica peſtis, quæ licet, ut videre eſt apud veteres, interdum ſolos ſpiritus, ut ephemera, aliquando humores, ut putrida, & nonnunquam partes ſolidas ut hectica inficiat.

(2) Quomodo afficitur Principium Vitale, videre eſt, apud hujuſce Univerſitatis Cancell. Celeb. DD. Barthez, in ſuâ ſublimi Oratione de Principio Vitali.

(3) Fatiſcentibus etiam ſenſim humoribus atque viis. Sthal. Obſ. med. pract. claſſ. 1 de febr.

primarum (*Putrid. Malig.*) in febres quarum putredo maximâ parte primas vias occupat, ſicut quædam febres *colliquativæ malignæ* (*Queſnay*) quædam *Mezentericæ malignæ*; ac aliarum (*malig. nervoſ.*) in febres, quæ ſanguinem & alios humores putrefactos habent, ut febris maligna lenta nervoſa Anglorum, quæ aliquandò epidemicè graſſatur, præcipuè in locis diù aëri denſo expoſitis ex obſervatis *Huxamii* & aliorum.

IV.

Hiſce poſitis notandum eſt quod omnes hæ varietates præter majorem aut minorem putriditatem reſpectivam in primis viis & locis vicinis, ſive in ſanguine ſive in aliis humoribus, vel ut (alio modo dicam) plus aut minus complicationis cum ſtatu nervoſo, aut inflammatorio, quod illæ varietates, inquam, nihil aliud exponentes conſtituere non poſſent differentias ſat reales, ut ex illis tot febrium ſpecies diſtinctæ ortum ducerent (1). Quod confirmatur ſequentibus. In caſu enim febris malignæ in quo nervorum aut principii vitalis affectio prædominatur, magis propenſio ad inflammationem, & *oppreſſio* quàm virium *exſolutio* reperitur. E contra in caſu ubi adeſt putredo, magis enim *exſolutio* quam virium *oppreſſio* videtur. Progreſſu autem morbi & principii vitalis diſpoſitione, id eſt, *ex nervorum irritabilitate*, vel *habitu peculiari*, illæ duæ febris malignæ ſpecies ſæpè & facilè mutantur una in alteram; *nervoſa* nempè convertitur in *Putridam*, & *iſta* ad ſtatum nervoſum, vel inflammatorium admovetur. Hujus veritatis exemplum reperimus in febre malignâ lentâ nervoſâ, & in malignâ ſanguinis propriè dictâ (vid. *Pringle*, *Huxam*) reſtat adhuc definitio febris malignæ generalior ab Illuſtr. D. D. *Bordeu* (2) tradita: febris, inquit, maligna eſt ea febris acutiſſima quæ veluti plurium morborum chronicorum ſive pravarum incommoditatum ſenſim, ac ſubdole congreſſarum ſerie ſtatuitur: quâ nervi aut organa pravum habitum, pravâ conſuetudine induerunt; quæ definitio aliquantulùm ad Sthalianam ſententiam accedit. Sic rursùs febrem malignam veluti *ſcorbutum acutum* quodam modo haberi vult laudatus auctor; non ſecus ac veluti *vapores acutos* febrem nervoſam habet *Gilchriſt* (3).

V.

Hujuſce ferocis morbi materialem cauſam ignoramus inter qualitates occultas prudenter & meritò illam rejiciebant *veteres*. Apud

---

(1) V. Sthal. loc. cit.., & Elleri ſententiam ſect. VI. nullam, inquit, ferè intercedere differentiam inter febrem catharralem malignam, morbum petechialem, Hungaricum & febrem caſtrenſem, ut nonnulli exiſtimant, ſed graviora ſunt ſympt. in militibus hac febre correptis.

(2) V. Recherch. ſur le Pouls.

(3) V. Tom. IV. Mém. d'Edimbourg.

Recentiores, qui tantùm nomina immutarunt, conſiſtit in *quid venenoſum*, in *miaſma*, aut ſubtiliſſimum *deleterium* valdè penetrans; quod generari, aut magis vel minùs præproperè foris in corpus introduci poteſt. Non immeritò cenſemus febrem malignam, non ordinariò derepentè, longiùs verò invadere, & oriri ex multis valetudinis incommodis ſive pravis malis neglectis, lento gradu progredientibus, quæ tandem erumpunt, & ſic modò ſe commiſcent, ut periculoſos effectus procreent, quocumque vertentem vitam penitùs invadendo. Status mæroris & ſollicitudinis permanens, mens affecta, metus inmoderati, immodica exercitationis ſeries, inopia, aliaque anguſtia, cujuſcumque ánimi pathemata, veneris uſus nimius, &c. Hæ cauſæ internæ paululum adaugent tenſionis, ſeu ſenſibilitatis ſyſtematis nervoſi gradum, qui illi neceſſariam ad functiones inſtruendas aptitudinem demit: unde maxima obſtaculorum multitudo & difficultas ad excretiones ſequuntur. Quòd corpus optimè ſanum ſatis depravationis, confuſionis, & corruptionis neceſſariæ ad febrem malignam contrahendam acquirere poſſit, certè difficilè concipitur (1).

Alias tamen ut in orbitam revertamur, cauſas externas evidentes recenſere licet; nempè ſolutam vivendi normam, ac præſertim immodicum alimentorum putridorum, carnium uſum; vel harum non ſecùs ac piſcium (2) putreſcentiam, quâ nihil virulentius excogitari poteſt, aërem inquinatum noſocomiorum, carcerum & navium: vapores malignos, qui ex animalium cadaveribus putrefactis, aliiſque putridis corporibus, aut locis aut ex ſtagnis, (ut noxia paludum effluvia) vel ex apertis cavernis atque ſpeluncis ſubterraneis in aërem erumpunt, ut colligi poteſt ex febribus malignis, quæ poſt magnas clades ſuperveniunt ex malignâ putredine, quam animalium & hominum cadavera concipiunt, ubi acervatim ſepulta & leviter tecta putreſcunt (3). Quod profectò non contingeret, ſi aëri libero ventiſque perflantibus expoſita corrumperentur, quia tunc tenuiora & volatiliora elementa, quæ ex eâ cadaverum putredine erumpunt, diſſipantur, antequam materiæ ſubtilis ex variâ eorum conjunctione miaſmata maligna producere poſſit; quod fieri nequit in aëre tranquillo, & in cadaveribus coacervatim ſepultis & paucâ terrâ tectis: quibus diverſimodè afficitur, vel in conſenſum trahitur *ſyſtema nervoſum*.

VI.

Pro miaſmatis contagioſi cauſâ agnoſcit *Sthalius* (4) *halituoſum putredinoſum*

(1) Illuſtr. de Bordeu. Recherch. ſur le Pouls.
(2) Tiſſot. Avis au peuple.
(3) Pringl. Obſ. ſur les maladies d'armée.
(4) Obſ. med. pract. claſ. I. de febr.

dinoſum fermentum, quod per omnes vias apertas intus introducitur; præcipuè per poros ſuperficiei cutis, (quæ, ut notum, eſt conjuncta cum oris, œſophagi, ſtomachi, ac inteſtinorum ſuperficie internâ) atque per reſpirationem, ſicque ſanguineæ maſſæ in pulmonibus admiſcetur. Poteſt autem *ipſum contagium*, ut rectè judicat vir prælaudatus uno tempore penetrantius eſſe quam altero; poteſt etiam anni temporis & tempeſtatis conditio, introductionem modò juvare, modò morari &c. notat febris malignæ miaſmata non eſſe *maligna* aut *abſolutè* periculoſa; ſed *relativè* quâ ratione ducimur ad illud magni momenti praxeos monitum de applicatione, cui maximè incumbendum quoàd diſtinctionem, inter *malignitatem morborum eſſentialem & intrinſecam*, & *accidentalem*, atque *adſcititiam* (1). Apud *Pringlium* eodem modo ad ſanguinem perlabuntur particulæ ſepticæ, quæ majori activitate & periculo donantur, ſi æger frigore corripiatur, aut alio accidenti ſit ſuppreſſa tranſpiratio. Ad *malignitatem accidentalem & adſcititiam* maximè quoque attendendum; nam nemo neſcit plures morbos ſubitâ athmoſpheræ mutatione, aut intempeſtivâ medicatione, ſive alio modo, &c, in peſſimam malignam tranſire poſſe. Febres ardentes, in malignas immutari, cum v. g. tempus ex ſtatu ſicco, puro, ac frigido in caloris & humiditatis ſtatum immigraret, obſervavit Illuſtr. *Piquer*. In ægrotantibus noſocomiorum, ubi derepentè auſter ad Septentrionem vergeret à veſpertinâ ad matutinam aut craſtinam diem, maximam varietatem in pejus ruentem ſæpè notavit Celebr. *Fouquet* (2). Eaſdem obſervationes fecit Illuſtr. hujuſce Univerſitatis Cancell. DD. *Barthez* Caſtrenſis olim Medicus. Sic etiam febrem intermittentem facilè in malignam converti obſervavere Celeberr. *Roëder* & *Wagler*, ad hancque ſuſcipiendam pronos eſſe, qui de more febres intermittentes patiuntur. (Vid. de Morbo mucoſo).

VII.

Valdoperè adhuc ſunt conſiderandæ tempeſtatum influentiæ, quia diverſimodè ab illis infeſtatur conſtitutio ſive motus quorumdam corporis humorum, ut ſanguinis & bilis &c. Illud probant veterum nec non *Ballonii*, *Langrish* (3) obſervata de æſtiviis & autumnalibus caloribus, quibus corporis humores ad putredinem concipiendam ſingulariter præparantur, unde evenit quod ferè ſemper æſtivo, rariſſimè ſaltem hiemali tempore apparent febres malignæ. Aliquo modo etiam pariter infici poſſunt regiones; notum eſt enim, quod *bilioſa febris*, quam apud noſtrates non ordinariò tanquam malignam habemus, apud

(1) Sthal. loc. citat.
(2) Eſſai ſur le Pouls.
(3) Pract. med. mod.

peregrinos tamen in Americâ ſic ſe habet (1). Parotides in febribus malignis, ſæpiſſimè in Minoricâ apud Inſularios reſolutione, ſuppuratione vero ferè ſemper apud extraneos terminari refert D. *Paſſeral de la Chapelle* (2), (3).

VIII.

Ex omnium conſenſu hujus morbi indoles eſt ſingularis virium proſtratio, motus irregularis & in functionibus confuſio inaſſueta, corporis omnis perturbatio, quæ ſæpiſſimè ad animi dejectionem tendit. Inter varia ſigna, quæ in febris malignæ cognitionem inducunt, ſequentibus coercemur... febris *Putridæ malignæ* initio, magis ulteriùs ſemper proſternuntur vires, gravativi capitis, præcipuè frontis, & occipitis adſunt dolores; ſanguis fluens è naribus, moleſtiſſima epigaſtricæ aliquandoque umbilicalis regionis ſenſatio; pulſus plerumque debilis, vix à naturali ſtatu recedens, inordinatus tamen in quibuſdam, lentior, aut vehementior & velocior, quam in naturali ſtatu (4) cum tendinum ſubſultu obſervatur. Lingua primo aſpectu ſubalbicans, poſteà cruſtâ flavâ obducitur, lotium à naturali primis diebus parùm differt, mox citreum, crudum, cereviſiæ turbidæ inſtar, interdum atro-rufum abſque ſedimento, cùm nubeculâ ſuſpenſâ cernitur. Nonnulli ſæpè adſtrictam alvum, ſubinde autem ſine levamine diarrhœam ſeroſam, bilioſam patiuntur; Alii ructibus putridis, nauſeis, vomendique conatibus, vel vomitu bilioſo ſuccedente crucientur, & de cardialgiâ valde dolente conqueruntur, &c. In morbi progreſſu deliria, varia exanthemata in cute, maculæ purpureæ, aut lividæ, aut gangrenodeæ parotides, odor grave olens, &c, &c., apparent; ſenſus externi debilitantur. Torvo vultu, oculos turbidos, quandoque inflammatos vertunt, vel figunt ægri, lumen refugiunt; inſomnes falſa rerum ſimulacra ſibi objiciunt, & abſurda deblaterant. Interea mens obnubilatur, vel continuâ mortis formidine perturbatur (5). Inſenſibilitas animæ circa morbum quanquàm graviſſimum, & alia ſymptomata, quæ denotant utplurimùm mente captos eſſe

---

(1) Warren de feb. malig. Americ.

(2) Réflexions ſur Minorq. Journ. de méd. 1764.

(3) V. Hujuſce Univerſitatis Profeſſ. Celeb. Le Roy. Oper. de febr.

(4) Bordeu, Recherch. & Illuſtr. Fouquet, Eſſai ſur le pouls.

(5) Sub hujus anni menſis Aprilis finem Vidimus & Nobiſcum plures ex amicis noſtris, curis vigilantiſſimis in arte Medica peritiſſimorum atque Illuſtr. virorum Prof. DD. *Lamure*, *Le Roy*, *Brouſſonnet* febre putridâ malignâ, nervosâ fuiſſe liberatum D Caſtanet D. M. qui maximo occipitis dolore & tantâ mortis formidine perturbabatur, ut omnibus fere diei ac noctis horis, nobis convocandus eſſet Illuſtr. *Brouſſonnet*, ut ægrotantis animi ſollicitudinem propitiaret.

febre malignâ laborantes : aliquoties hæc tandem ſymptomata tam inſidioſè occultantur, ùt facilè imperitos in errorem impellant (1).

IX.

Ex præmiſſis de febris malignæ varietate, complicatione & inaſſuetis ſymptomatibus conſtare videtur, hujus diriſſimi morbi non eamdem eſſe generalem inſtituendam curationem, contra varium in modum variandam; relativè verò tantùm quoàd remedia diverſis ſymptomatibus debellandis accommodata, & modificationibus circa varium in medicatione malignitatis gradum adhibendis (2). Nihil reverâ naturæ congruentius, nec ſolidius ex illis deducitur, quàm hæc eadem curatio, ſi pro verâ febre malignâ habeamus *Putridam malignam*, in quâ inhæret, aut dominatur exitialis putredo. Iſta febris enim plus, vel minùs cum ſtatu nervoſo, aut inflammatorio complicata omnium in praxi obſervatur vulgatiſſima. Perrariſſima Putrida maligna exquiſitiſſima, in quâ virium exſolutio dominium tenet, & principium vitale, ac ſolida morte perculſa, ubi humores omnes in ſtatu putrefactionis maximè vicino, vel quoque maximâ parte putrefactos, ubi denique putridam colliquationem denotant omnia ... *Maligna febris non omnium dierum morbus eſt* (3). Illa, inquam, febris peſte pejor, nam ægrotantes promptiſſimè jugulat, nullam curandi methodum admittit, ad eos à morte revocandos inutilia forent remedia : vires paululum ſuſtentando, ad vitam protrahendam tantum prodeſſent cardiaca, antiſceptica. Hic eſt obſervationis locus circa malignitatis ideam. Putamus cum Illuſtr. *Vanſwieten* non nobis imitandos eſſe Medicos, qui quondam ſummo ægrorum diſcrimine, in omnibus morbis acutis malignitatem illam crepabant, & cardiacis, & alexipharmacis calidiſſimis utebantur. Unde *Sydenhamus* (4) non dubitavit dicere quod malignitatis illud vocabulum, humano generi, ipsâ inventione pulveris pyrii lethalius fuerit (5), (6).

X.

Ad *noſtram* aliæ omnes febrium malignarum ſpecies ab auctoribus deſcriptæ referri poſſunt : ſed quoàd modificationes quaſdam in me-

---

(1) Vid. Hujuſce Univerſitatis Illuſtr. Profeſſ. D. *Le Roy* opera, in quibus febris malignæ ſymptomata meritiſſimò numeravit. V. Celeb. *Lieutaud* praxim med.

(2) Sic intelligendum quod ait Sennert. »ſicut verò febres malignæ diverſis »ſympt. ſe ſe produnt, & peculiari malignitatis gradu differunt; ita eas cu- »randi ratio non planè eſt eadem. Lib. VI. cap. XIII. de febr. petech.

(3) Van-Swieten, de febre putridâ continuâ.

(4) In Schedula monito. De febr. ingreſſ.

(5) De Haën diſſ. de morb. dict. malig.

(6) Lieutaud prax. med.

dendi methodo adhibendas ſervanda eſt harumce diviſio facta, nempè in febres *lentas nervoſas*, *febres carcerum*, *noſocomiorum*, *paludum*, *caſtrorum*, ac in *intermittentes malignas* (1) (vid. art. 2). Inter febres noſocomiorum & carcerum quod reperitur diſcrimen, in eo conſiſtit quod priores in inflammationem magis quàm poſteriores vertant : præterea iiſdem ſymptomatibus ſtipantur. Inter has ultimas febres & malignam *lentam nervoſam* nullam eſſe diſtinctionem admittendam aſſerit Illuſtr. Ampliſſ. Cancellarius DD. *Barthez* (2) ; è contra *Pringlius*, quia inquit in iſtâ, *lent. nerv.*, nulli ut in aliis ſunt manuum tremores, (Aſt verò illud diſcrimen eſt parvi momenti) & in noſocomiorum febribus à venæ ſectione vires franguntur & exhauriuntur : ſed eoſdem iſta evacuatio producit effectus in *nervoſâ*, uti in carcerum febre, iiſdem poſtea hæ omnes auxiilis curantur (3) in veras malignas haud meritò recenſeri debent *mezentericæ*, quæ tales fiunt maximo ægrotantium damno ut plurimùm evenit : pulſum potius habent parvum, depreſſum, concentratum, quàm debilem (4). Sic de illis eloquitur *Baglivius* »tali modo, inquit, turbatur œconomia animalis, ut ſtatim »apparere videbis linguæ ariditatem ; pulſus exiguos, extremorum »frigus, anxietates, & alia id genus quæ malignam febrim denotarent, »ſe reverà non ſunt malignitatis effectus, verum ſtomachi ab exaltato »humore irritati, laceſſiti, & afflicti, quæ, ceſſante irritatione, & »ſtomachi indignatione, compoſita præfata ceſſant accidentia» (5). Præfatis omnibus ad generalem febris malignæ, ſive *putridæ malignæ* curationem devenimus.

XI.

Graviſſimus ac periculoſiſſimus cum ſit *hic morbus*, hujuſce cura ſummam medici attentionem & induſtriam poſcit (ob rationes hactenùs allatas) : poſtquàm ex ſignis morbum hunc præſentem agnovit, omni ſtudio allaboraturus, ut corruptionis hujus putridæ progreſſum impediat. Quare æger ſtatim cum lectum tenere cogitur in cubiculo collocandus, quod aëris renovationem patefactis interdum feneſtris, foci luculenti ope ſub camino permittit, (6) ne nocivæ exhalationes

---

(1) In hac claſſe ponimus intermittentes malignas, quod principalis indoles ſit malignitas, ex quâ remiſſio nihil aliud eſt quàm typus aut indoles ſecundaria.

(2) In manu ſcript.

(3) De Haën ratio medendi.

(4) Peritiſſ. Fouquet, Eſſai ſur le Pouls.

(5) Baglivius prax. med. lib. 1 pag. 52.

(6) Pringlius, Eller. Et Illuſtr. DD. Barthez in ſuâ de aëre ſublimi diſſertatione, & in variis manu ſcript.

per reſpirationem denuò attractæ morbi fomitem adaugeant. Ad hunc ſcopum ligna incenſa aromatica, reſinoſa adhiberi ſolent. Aromatum gratiſſimos halitus laudarunt nonnulli (1). Sed præ reliquis omnibus acida, quæ certiſſimè omni putrido adverſari conſtat; acetum hinc in patulis vaſis igni expoſitum & in vapores reſolutum (2). Summum hic remedium eſt (3). Nitrum prunis ardentibus (4) inſperſum ſolvitur in vapores acidos, mobiliſſimos, nunquam quieſcentes, unde ſtatim quaquaverſum diffunduntur & efficaciſſimus omnis putredinis domitor. Sulphur autem præter reliqua omnia, & antiquiſſimo uſu & ſummâ utilitate ſe commendavit tanquam peſſima venena abſque alio auxilio domans. (5) »Conſultiſſimum eſt, inquit, *Valleſius* (6), »ægrotantium cubicula non ſemper undequaque concluſa ſinere ... ſed »aliquantiſper apertâ aliquâ feneſtrâ ventilare, ut aër aëre expurgetur; »quod ſemper ægrotis eſt gratum & utile, aliquando etiam neceſſa»rium, ne plurimùm aucta putredo magis maligna fiat». Aër poteſt etiam temperari exhalatione frigidæ aquæ (7); maximè plantis nonnullis, quæ unà cum aquâ exhalant amabilem fragrantiam, unà cum grato refrigerio: florentis ſambuci arboris rami huic uſui pulcherrimè conducunt. Plures autem aliæ plantæ his ſubſtitui poſſunt v. g. oxyacantha, ulmaria, roſæ, &c. &c. quæ ſimili fragantia pollent. »Eſt »enim hac in re mira varietas, ait *Valleſius*, idem odor hunc recreat, »& illum ſtrangulat; aliumque diſſolvit, nullâ evidenti causâ, ſed »proprietate: paretur ergo aër cuique pro ſuâ naturâ, alii roſas ſparge, »aut violas, alii ſolia vitis, alii thymum, aut lybanotym; ut ſecun»dum dictas conſiderationes res exiget» (8).

---

(1) Galegam commendat Boyle, apud Chomel, tract. Plant.

(2) Langrish theor. pract. med. mod.

(3) Acetum accenſum ſupra lectum in pavimento conſperſum apud ægrotantes commendant plerique practici.

(4) Thus, lignum & baccæ juniperi Pringlius tom. II.

»(5) Longè autem magis hic effectus ab accenſo pulvere pyrio expectandus »videtur, cum & validâ exploſione aërem moveat efficaciſſimè; ſimulque »vivâ flammâ latè diſpersâ eumdem luſtrèt, ſulphuriſque, & nitri acidis va»poribus, omni putredine adverſiſſimis, quàm maximê proſit, Van-Swieten »de febr. in gen.

(6) Method. medendi lib. I.

»(7) Gelida enim aqua ex profundo puteo imprimis hauſta, in pavimentum, »& ad parietes reſperſa, gratum, & tutum aëris refrigerium conciliat. »Sale marino, ammoniaco, nitro, aquæ additis pro lubitu, frigus aquæ »augetur. Van-Swieten ibid.

(8) Ibid. Valleſius.

XII.

Imò & expedit ut in tenebricoſo loco collocetur, non plus æquo inter lecti cortinas includatur æger & ſub ſtragulis quaſi ſepeliatur (1). Unica tegendi regula ut caleant moderatè. Arcetur multitudo à cubili, nihil commoveat ægrum, ſemper ſecurum agere convenit, ut corpore tantùm non etiam animo laboret (2). Sæpiſſimè lintea præcipuè ſicca, (3) calida commutet, è lecto eximatur, tandiù, quandiù (ut commendabat *Sydenhamus*) vires ferant. Sic omni ævo ne ſtragulorum pondere, vel aëris calore ſuffocarentur ægri, ſollicitè curarunt practici. Cavendum tamen ne in vitium ducat culpæ fuga, ſiquidem adſunt morbi tempora, nonnullæque circumſtantiæ, quæ certum caloris gradum requirunt, quo humorum, vel materiæ morbificæ coctio, motus ritè peragi queat; quod quidem refrigerantium & aëris frigidi uſu nimio aſſequi minimè poteris. Sic in ovi incubatione calor adauctus in gallinâ requiritur, & reapſe adaugetur, ita ut marceſcat gallina, humores ejus alterentur, feceſque ejiciantur fætidæ ultra morem, quod quidem corpori morbo jactato non malè convenit. His addi poſſent, quæ minutiſſimè conſectàtus eſt Celeber. *De Haën* (4) circa ægrorum motum in lecto. »Debiliſſimi ægri in lecto quotidiè pauliſper eriguntur, ut »pulvinaribus dorſo, ac capiti ſubſtractis ſedeant; primò per octavam »horæ partem, quotidiè autem diutiùs ac frequentiùs gaudent & recrean»tur admodùm apti fiunt; qui extra lectum in ſedile parumper ſedeant; »in ipſis acutis nec dum apicem adeptis per 1. 2. 3. horas ægri lectis »exempti, ſedibus ad id aptis inſident: id enim uſu didicimus, quò »diutiùs ægri in ſuis tegumentis tumulantur, eò eos fieri, qui ſedeant »erecti, ineptiores, quò eriguntur crebriùs, eò alacriùs ſurgere &c.» & meherclè nemo neſcit quantùm decubitus in lecto vel in ſellâ protractior virium refocillationem retardat. Hæc utilia quidem præcepta noſtrates etiam mulierculæ callent, hiſque diligenter utuntur apud ægros. Deinde preſcribitur victus ſequens utpotè putredini, & malignæ qualitati oppugnandæ maximè idoneus; nempè juſcula farinoſa ſicuti cremores oryzæ, hordei, avenæ, &c. Aquoſa tantùm & levia, decocta panis, vel vitellus ovi in hordeato lacte amygdalino diſſolutus

---

(1) Omnes quicumque Clinici ſummoperé ſuadent illam methodum refrigerandi ſydenhamianam, hoc auxilio feb. malig. laborantem fratrem ſuum & penè ſudoribus exhauſtum ab orco revocavit hujuſce Univerſitatis Profeſſ. Illuſtr. Venel, pluries obſervavit quantum utilitatis in morbis acutis ſit; Attamen non omninò rejici vult Helmontianam methodum.

(2) Celſus lib. III.

(3) V. Tiſſot Avis au peuple. Et Illuſtr. Barthez in prælectionibus particularib de febrib. ageus.

(4) De Haën rat. medend. tom. I. p. 1.

Aliquandò jura ex vitulo, vel pullo ſi debilitas ægri poſtulat, quæ tamen rariſſimè concedenda & tantum per temporis brevis ſpatium, ſaltem initio morbi, cum nocere poſſunt & generaliter non conveniunt (1). »A juſculis carnium & victu nutriente animali ipſi ægri »abhorrent; hinc decocta panis, hordei, ſucco citri acidula reddita »exhibenda ſunt (*Ludwig*). Sæpiùs enim notatum eſt vela ſolidis carnium juſculis omnia pejora reddi, febrem exaſperari, atque ſaburram putridam manifeſtè augeri: quin ſunt qui præ faſtidio omnem victum animalem tunc abhorrent; decreſcente autem morbo, quæ blandè nutriunt, & facile digeruntur, pedetentim exhibenda ſunt, &c. (*Roëderer de morb. mucoſ. p. 76.*). *Præterea concedendum aliquid & conſuetudini & tempeſtati, & regioni &c. Hippocr. Aphor.* 17... *longo tempore conſueta etiamſi fuerint deteriora, inaſſuetis minus turbare ſolent. Hippocr. Aph.* 5. (2).

XIII.

Hiſce omnibus juſculis adduntur plantæ nonnullæ ſummâ aciditate donatæ, ut acetoſa, berberis, citreum, &c. vel cremor tartari ad doſim xv. vel xx. g^r. jure quolibet (*Tiſſot. De Haën.*). Aliquandò adhibetur tantum acetoſa, *Alleluya* (3) vel adhuc pimpinella, calendula, *Heurnius*. Præterea majoribus, vel minoribus intervallis hinc pro virium & febris vigore juſcula propinantur. Interdum etiam ſi ſinat ſtatus ægrotantis, illi permittuntur pruna, ceraſa ſicca, mala renetia, pira cocta, &c. (4): Vel horum ſuccus cum tantillo pane albo, vel denique pulpa aut gelatina domeſtica pomorum, ribium, cydoniorum. Commendat etiam *Mercatus* (5) »mucilagines cotoniorum & pſyllii cum ſaccharo «& modico aceto confectas, nauſeâ, faſtidio, dolore & vomitu exiſ»tentibus». Hæc ultima alimenta in intervallis juſculorum, aut cremorum, vel illorum loco, parvâ doſi aliquandò adhibenda, vel ptiſanis tepidis miſcenda (*Platner, Langrish.*). Plùs vel minùs temporis continuandus erit illorum uſus; quapropter magnoperè attendendum eſt

---

(1) Abhorreo in febri jura carnium, nam extemplo natura deteſtatur eadem, & quò meraciora eò quoque damnoſiora. Helmont. de febr. cap. XII. p. 99 vid. pariter Riviere.

(2) De Haën rat. med.

(3) Quoad plantarum alterantium uſum reperitur apud *Chomel Trait. des Plant.* Alleluyæ ſive trifolii acetoſi uſum in febribus malignis, & ardentibus ad cerebri inflammationem vergentibus anteponendum eſſe acetoſæ.

(4) Veſcatur æger prunis, fragis, ceraſis acidis, malis punicis & aurantiis &c... abſtineat verò à carnibus & rebus dulcibus nam valdè nutriunt *Heurnius* de febr.

(5) De febre malig.

ægri viribus, temperamento, &c.; & aliis morbi circumſtantiis, quæ non erunt parvi momenti, ut talia talibus præferantur alimenta. Generaliter autem quantum fieri poſſit, non adminiſtrentur inſtante paroxiſmo.

XIV.

Pro potu ordinario præſcribuntur aquæ mulſæ, ptiſanæ hordeaceæ, avenaceæ, & ſimiles farinoſæ, quæ ſimul putredini oppoſitæ ſunt, cum ſuâ ſponte aceſcant. Serum lactis (1), lac & cereviſia tribus partibus aquæ. Aquoſis optimè adduntur ſubacida, quæ omni putredini reſiſtunt; & optima contra ſitim ab hac causâ ortam, ſunt remedia. Hinc ſuccus citri (2) aurantiorum, ceraſorum, ribeſiorum, tamaryndorum, & acetum quoque his aquoſis miſcentur, tanto cùm fructu, ut in febre ſitientes avidiſſimè hæc expetere ſoleant. Decocta etiam radicis ſcorzoneræ, cornu cervi, acidulata variis ex nitri præparatis, quæ in officinis proſtant, ut ſpiritus nitri dulcificatus, &c.; quia pariter omni putredini adverſantur, & inflammatoriæ liquidorum immeabilitati reſolvendæ quàm maximè conducunt. Si vires debilitentur, gratiſſimi potus parari poſſunt, dùm v. g. quinque vel ſex decoctorum farinoſorum partibus una pars vini aciduli miſcetur (3), vel etiam florum caryophillorum decocta (4). Contra Galenicos ſui temporis Medicos, qui omnem vini uſum in febribus damnabant inſurgens, *Helmontius* hinc non ſine ratione ſequentia de vino dixit (5), »vinum autem peculiarem habet indicationem non ſolùm quia vires addit, quibus »natura exoſam materiam domat; verùm inſuper quod ſit plauſtrum »medicaminum conveniens, eſt nimirum nuntius, qui vias novit, iti»neri accintus, carus intimis & admiſſus in penetralia». Quanquam valdè proſunt acida remedia, aſt tamen ad illa cum cautelis, & gradatim ex vegetabilibus ad mineralia confugiendum.

XV.

Morbi carcerum & noſocomiorum initio, acidorum uſum pertimet *Pringlius*, quod in cadaverum aperturâ inflammationes in fine morbi apparentes reperierit. Meritò autem notat Illuſtriſſ. hujuſce Univerſitatis

(1) Serum lactis parari poteſt cum vino rhenano, canarino, Gilbrih. mem. d'Edimb. tom. IV. vel cum ſucco citri & aurantii Langrish med. pract. mod. v. pariter Fiſcher de febre miliari cap. V. pag. 88, 89.

(2) V Riviere pag. 455.

(3) Potus ſit aqua cum pane, hordeo, vel oryza infusa cum citri vel limonum ſucco, aut tert. vel quart. part. vini permixta. Eller. ſect. VI.

(4) Simon Pauli refert hocce præſidio permultos febr. malign. laborantes curatos fuiſſe, Chomel. Trait. des plant.

(5) De febre cap. 12 n. 7 pag. 773.

tatis Cancell. D. D. *Barthez* has inflammationes plerumque in fine morbi prodire, licet tamen ſub initio vel in morbi decurſu exiſtere valeant. Præterea experientiâ conſtat, quód levia acida prudenti manu adhibita nuſquam damno, ſed plerumque magno emolumento ſunt in febrium malignarum curatione. Itaque etſi neſciat nemo ex uſu eorum immoderato plura ſequi incommoda, non ſunt tamen negligenda; e contra... *Hoffman*, & plures alii ſummoperè laudant mineralia. Sulphuris & nitri ſpiritum, aliaque ex ſulphure parata medicamenta ſupra laudes extollit *Mindererus* (1); »Nulla, inquit, eſt putredo, cujus vires, »non frangant, nulla infectio, quam non ſuperent, nulla humorum de»pravatio, quam iſta non ſuperent, (ſanè ut uberrimè loquar) ſi mihi »vitriolatorum medicamentorum uſus vel inhiberetur vel interdiceretur, »ego ad peſtis curationem nunquam vel ſaltem inermis accederem.» Spiritus nitri (ait *Hoffmanus*) crebrò & liberaliter in aqueo vehiculo datus, quibusdam eximiè profuit, quod partim acido tribuendum, quod putredini reſiſtit optimè, partim ſtimulo, quem inducit inteſtinis, quibus vellicatis, ſanguinis & humorum impetus à capite ad inferiora vocatus & alvi fluxus cum euphoriâ; ſed longè tutior clyſſus antimonii ſulphuratus, cum diluenti tenui potu ſufficienti copiâ exhibitus, quem ceu præſtantiſſimum auxilium deprehendit & commendat (2).

XVI.

Inſtitutâ victûs ratione antequam ad phlebotomiam deveniamus, de efficaciſſimo enematum uſu agemus, quo nimius febris motus temperari poteſt. Tanti fecit clyſmata *Sydenhamus* (3) ut teſtetur ſe ſolo horum uſu nimiam ſanguinis æſtuationem pro lubitu compeſcere potuiſſe. Non ſolùm ad primam regionem in hujuſce morbi principiis ab excrementis liberandam, ſed etiam toto morbi decurſu ſunt uſurpanda, ſi alvus ſpontè non fluat, idque ſingulis vel alternis diebus; (4) (5) bis repetitis, ſi ſit neceſſe & vires ferant. Illorum enim ope quotidiana excrementa educuntur, & quædam materiæ morbificæ portio ſenſim detrahitur. Tum etiam humores ad ſuperiores partes vergentes, ad contraria loca, eaque naturæ conſentanea retrahuntur. Hæc autem enemata (6) ex decocto emolliente & refrigerante componenda

(1) Apud *River.* de febr. peſtilent.

(2) De febr. petech.

(3) Sect. 1. chap. XIV. pag. 69.

(4) Si alvus ignaveſcat adhiberi poſſunt enemata uſq. ad 12. diem præſertim ſi non inſtituta fuerit V. S. initio morbi, *Langriſh.* med. pract. mod.

(5) V. D. Poiſſonnier, trait. des malad. de St. Domingue, præſcribit quatuor aut quinque enemata uſque eo quod periculo vacat morb.

(6) »Clyſteres dulces præcipuè ex decocto ſcordii, ſi quidem ſcordium con»tra maliguitatem & lumbricos æqualiter confert. *Rivier.*

ſunt, additis, laxantibus benignioribus. Si igitur ignaveſcat alvus, ſollicitanda erit (1), ſimplici enemate ex decocto malvæ, altheæ; hordei, lactucæ, endiviæ, ſempervivi, ſeminum cucumerum & melonum, cum oleo vialato, nenupharino: diſſolvendo catholicum, caſſiam, diaprun. Simplic., ſaccharum rubrum, mel violaceum, mercuriale, &c. Satius eſt nulla purgantia in vigore morbi enemati admiſcere, ne alvi fluxus excitetur; ita ut potiùs fomenti interioris rationem obtineant, quàm laxantis remedii. Quod ſi in morbi decurſu liquida alvus appareat, non idcircò ab enematibus abſtinendum, ſed modicè detergentibus & refrigerantibus utendum, *Riverius.* Haud verò nimia & maximè frigorifica uſurpanda ſunt, ne inteſtina labefactentur (2). Sed ſemper ſint pro ægri viribus, morbi circumſtantiis, caloris gradu, & febris intenſitate quàm maximè idonea (3). ſi clyſmatibus non facilè vacuentur inteſtina; metuenduſque meteoriſmus, tunc fomenta emollientia ſuper alvum, linimenta oleoſa erunt applicanda; nempè oleum liliorum, chamæmeli, aut roſatum, &c. fomentorum uſum magni fecit *Valleſius.* »Hypochondria, inquit, fo»veri poſſunt, antequam perpurgatum corpus ſit... id quod magnâ »utilitate res eſt expertiſſima, tametſi corpus vacuatum nondum eſt, »ſed id potiùs agatur, ut vacuetur (4).

XVII.

Si malignitatis ſymptomata ſtipantur pulſu pleno, duro, ſat conſiſtente, ſive ſint pulſationes veloces aut irregulares, ſive lentæ & æquales; prætereà ſi adſint plethora, robuſtum corpus, ſummus calor, difficilis reſpiratio, capitis, lumborum dolor (*Huxam*) ac tandem ſi malignitas notabilis aliquid inflammatorium denotet &c... Celeriter tunc ad venæ ſectionem è brachio confugiendum, quia depletis ſufficienter vaſis, ſanguinis ardor temperatur, ac ventillatur, inflammationiſque periculum arcetur; ſicquè humores expurgandi medicamento purganti faciliùs obtemperant. Quamvis in febre *Putridâ malignâ* generaliter non conferat, morbi tamen magnitudinis ratione, calidæ intemperiei cum putredine conjunctæ convenit V. S. Sanguinis verùm in quantitate metiendâ ſumma prudentia neceſſaria eſt; cùm malignæ, & venenatæ qualitatis ratione utilis non ſit, imò potiùs noceat: ab eâ enim principium vitale maximè labefactatur. Ideò ſi putredini, maligna

(1) Simpliciſſima tantum clyſmata adhibuit ex ſaccharo & emolliente decocto: aliquando aquam ſolam, vel & æqualem copiam lactis ſumpſit. Sydenh. loc. citat.

(2) Quod obſervavit *Riverius* de nimiâ doſi ſemper viv. maj.

(3) Clyſter optimus ſit ubi maxim. fervor ex ſucco ptiſanæ cum ſaccharo, vitellis ovor. & oleo roſat. *Huernius.* Lacte &c. *Huxam.*

(4) *Valleſius* meth. med. lib. III.

& venenata prævaleat qualitas, quod ex propriis ſupra præpoſitis ſignis facilè internoſci poterit, minori copiâ ſanguis eſt mittendus; ſi verò magis infeſta ſit putredo quàm venenata qualitas, majori copiâ tùnc detrahendus. Quamobrèm ſi ex morboſo apparatu potiſſimùm, & putridis humoribus intrà venas coercitis febris *Putrida maligna* oriatur, iterari tuto poteſt phlebotomia ſemel, bis, (1) aut ter donec ſarcina humorum vitioſi humoris contenti exonerata ſit (2); idquè quotiès periculum exigit, & vires ferunt, imprimis ſi ſymptomata malignam in ſanguinem arguant accenſionem, aut alicujus viſceris inflammationem minentur: quod non raro in febribus malignis contingere ſolet. Maturè autem, & à morbi initio inſtituenda eſt phlebotomia (3).

XVIII.

Si verò progreſſum malum fuerit, & in totam maſſam ſanguineam malignitas diffuſa, non modo non confert V. S., ſed etiam naturam maximè debilitat: ità ut Auctores quam plurimi, tranſactâ die quartâ ſanguinem mittendum non eſſe cenſeant. Attamen ſunt quidam caſus in quibus ab illâ viâ diſcedendum eſt. Prout, igitur morbus movetur, ſic Medicus, celeriùs, aut tardiùs venæ ſectionem celebrare debet. Nonnullorum, qui autumant exanthematibus, ſeù maculis purpureis apparentibus ſanguinem ſectâ venâ detrahere eſſe piaculum, ſententiam rejicimus; è contrà ſanioribus medicorum ſententiis Aſſentimur: ex illis enim ſancitum eſt maculis purpureis apparentibus in morbi principio, & iis, diebus quibus venæ ſectio celebrari conſuevit, ſi anteà ſanguis ſufficienter non fuerit detractus, etiam quantitate moderatâ eſſe detrahendum, neque ullum inde imminere periculum; cum illa exanthematum eruptio, quæ fit in principio morbi critica non ſit, ſed tantum ſymptomatica ex inſigni ſanguinis, & humorum malignorum ac putreſcentium fervore oriunda: Atque adeò non poſſit impediri naturæ motus, qui tunc temporis nullus (*Riverius*). Valdè tamen attendendum eſt ad tempus, quo exanthemata apparere incipiunt. Si nempè, & in principio morbi, & ante quartum diem id fiat, quo tempore eorum eruptio critica eſſe non poteſt, & nullum ægro ex eâ levamen mergit, ſed potiùs ſymptomata ingraveſcunt, unde venæ ſectio nullo

---

(1) V. Diemerbroeck. lib. IV. de peſte. annot. 1. in quâ compertum eſt venæ ſectiones, ter, quatervè, & interdùm pluries reiteratas ad hujus morbi curationem primarium ſubſidium attuliſſe. V. pariter Riviere. lib. XVII. ſect. 3. cap. 1.

»(2) Nam ſi vires conſtiterint, ſecundo, & tertio, & ſæpè quarto, ve»nam ſcindere oportet donec aliquid ejus quod in minerâ putredinis continetur »extrahi conſpiciamus. Mercatus de febr. malig.

(3) Miſſio ſanguinis quanto maturior, tantò utilior ac proindè in principio, prima & maxima occaſio eſt, ut reſſert Valleſius meth. med.

modo pertimeſcenda eſt. At ſi poſt quartum diem erumpant, idque magnâ copiâ ut inde æger meliùs ſe habeat, ac ſymptomata remittantur, ſatius multò eſt à venæ ſectione abſtinere (1).

XIX.

Quæ de venæ ſectione hactenùs à nobis dicta ſunt, intelligenda veniunt de eâ, quæ fit in brachio. Idcirco nunc agemus de ſectione venarum inferiorum, quæ utiliſſima eſt (modo tenſione, & inflammatione non afficiantur hypocondria, & varia abdominis viſcera) v. g. ſi ſint capitis dolores, vertigines, deliria, aliæque cerebri affectiones (2). Interdùm etiam ſecantur venæ jugulares, imprimis ſi invitis è pede venæ ſectionibus prædictæ capitis affectiones permaneant, ſi ſit facies turgida, ſi rubeant, & inflammatione laborent oculi &c. Nec diſplicet, *Mercato* (3) eorum ſententia, qui premò ex talo [in prædictis caſibus] ſanguinem copiosè fundunt, nam eadem militat ratio, quam profectò ſanguinis detractionem fæminis eſſe proficuam (citrà menſium conſiderationem) experientia docuit. Tunc præcipuè confert phlebotomia in mulieribus: »eſt enim, ait *Oribazius*, lib. 7. cap. 10. Mulieribus »propria, multúmque efficax, quippè quæ naturalis excretionis modum »imitetur» (4). In principio febris malignæ ſporadicæ, ob capitis dolores, vena in pede pertuſa, & conveniens ſanguinis quantitas educta, tàm felici effectu, [ut videre eſt apud *Hoffmannum* (5)] ut non tantum morbus mitior incederet, maculæ petechiales cum purpurâ, ſecus quam in primis compararent, verùm etiam ex ſeptem nec unus occumberet, ac ipſe contagioſus morbus ſic deſineret. Sic quoquè narrat, *Baglivius*, »in malignis febribus dum ſanguis è brachio mittebatur, æger »in pejus ruebat, & totus morbi impetus ad caput ferebatur, undè »paulò poſt deliria, ſopores &c... Contrà miſſo ſanguine ex pede me»liùs habebat» (6).

---

(1) Pernicioſa foret V. S. ſi lividæ aut nigræ eſſent petechiæ; ſanguinis enim putrefactionem denotat iſte color.

(2) »Confert etiam in quibus metuenda eſt tranſlatio humorum ad cerebrum, »quæ frequenter in hiſce febribus ſolet contingere. Riverius ſect. III. cap. 1.

(3) »Cum maxima fuerit plenitudo, & veneuoſitas, V. prælaud. Auct. »de febr. malig.

(4) »Imò vero circa menſium evacuationem utilis eſt iſta evacuatio; quia »ex eâ lege naturæ in venis utero vicinis plurimo ſanguine abundant. Riviere, »ibid.»

(5) De febr. petech. ſect. I. cap. XI.

(6) Prax. med. lib. 1. addit etiam in febrib. ex mutatione aëris Romæ; venâ ſectâ ex brachio, ſtatim ſuccedebat ſopor, non ità ſi ex pede... Celeber. DD. Barthez aſſerit venæ ſectionem è pede multùm convenire impedito capiti, de febr. petechi. in prælectionib. & manu-ſcript. agens.

XX.

Febri *putridæ malignæ*, iterùm dicere non conferre magnas ſanguinis evacuationes [licet interea tamen venæ ſectio, cùm inflammatoria prædominetur indoles] ac raro eſſe adhibendas, & nunquàm in virium *exſolutione* inutile foret; id enim lethale (1). Itaquè intento animo vires perpendæ ſunt, interdùm enim *oppreſſione* tantum; licet primo aſpectu *exſolutione* laborare videantur. Tùnc maximè convenit phlebotomia, *oppreſſionem* allevat, vires paulatim reficit, naturæ commodam declinationem afferendo, quâ minùs periculoſus fit morbus. Sæpè contingit in febribus malignis, ut ſumma pulſus debilitas vires *exſolutas* indicans phlebotomiam impediat. Aſt verò etſi pulſus appareat parvus, aut depreſſus, attamen præmentibus digitis per pulſationes ſat validas, & notas reſiſtit, vires adhuc *oppreſſæ* ſunt: non ſecus cum aliquot pulſationibus imbecillis ſuccedunt nonnullæ fortes, & iſtæ conſtantèr redeunt, & adſint plethoræ ſigna, tantùm *oppreſſione* afficiuntur vires. In iſto caſu cùm felici ſucceſſu ad venæ ſectionem eſſe confugiendum, conſtat experientia... Quod obſervavit Illuſt. *Fouquet* in homine volvulo laborante, in quo ſubitò adhibuit phlebotomiam, quæ remiſſionem in morbo generalem attulit, omnia ſymptomata compeſcuit, & actionem excernenda rejiciendi liberiorem rediit, licèt impediri videretur, V. S. manifeſtâ pulſus imbecillitate... »Quoique la ſaignée n'aille pas trop dans les *putrides malignes*, on eſt, »dit Mr. *Boucher*, ordinairement obligé, ſur-tout dans les ſujets forts »& pléthoriques, de mettre à l'aiſe l'action ſyſtaltique du genre vaſcu»leux, par une ou deux ſaignées, mais il eſt rare qu'une troiſieme ſe »trouve indiquée à moins qu'il n'y aie complication» (2). Pernicioſum adhùc eſſe illam iterare imprimis, ſi capitis dolor moleſtus, decubitum cruoris ad cerebrum indicat, tùnc nimia ſanguinis evacuatio, dum vitales functiones deprimit, brevi poſt deliria excitat, & phrenitidem funeſtam cauſatur, [*Eller*]. Summâ utilitate prodeſſe poſſunt, melencholicis Hemorroïdum appertio, quæ lanceolâ, aut Hyrudinum applicatione perficitur, [*Riverius*]. Sic etiam cucurbitulæ ſivè ſiccæ, ſivè ſcarificatæ, ſcarificationes quoquè, ut motus humorum pravorum ad exteriora multùm promoveatur (3); præprimis ſi plethora & ſi quæ re-

---

(1) »Ubi enim cauſa ceſpitantium virium non eſt oppreſſio, ſed exhauſtio, »nunquam ſecari vena debet. Heurnius. de febr. pag. 120. è contra ſecari po»terit ſi ab oppreſſione laborent vires. Vall. loco citato.

(2) Journal de médecine 1764.

[3] Poſtremum Auxilium ſummoperè commendant Proſper Alpin de med. ægipt. Guilandinus, Heurnius, Mercatus, Senner, Nicolas Piſon, Zacutus Luzitanus, &c.

liqua ſigna venæ ſectionem ægri viribus impeditam ſuaſerint.

XXI.

Si valdoperè caput doleat, adſint vigiliæ, delirii, comatis principia, cum proſtratione virium, & pulſu minus valente, tunc maximo ſunt emolumento veſicatoria variis partibus admota, quæ potenter pravos ichores attrahunt, & revellunt. Adhibentur vulgò poſteriori parti cervicis; Hinc enim & materiem morbificam eliciunt, & à capite derivant, comatoſiſque affectibus, qui in febribus malignis non raro contingere obſervantur percurandis inſerviunt (1): modo ut non tardiùs applicentur, etiàm utrique ſuræ, inter ſcapulas &c. Ubi maxima eſt malignitas totum corpus occupans, & ſæviſſima ſymptomata urgent, unicum veſicatorium non ſufficit, ſed plura variis locis admovenda ſunt. Dolorum capitis mitigandorum, & delirii præcavendi cauſâ, veſicatoria cum optato levamine nucæ applicare ſuadebat *Sydenhamus* (2). Ubi videtur impediri caput, veſicatorio obtegendum eſt (3); fortaſſe tamen in febre lentâ nervosâ ab oppreſſione virium noxia forent ut notavit Illuſtr. D. *Barthez*. Præcipuè vero pertimeſcenda, quando adeſt in cerebro congeries, ne eorum capiti applicatione adaugetur (4). (5). Ad illud auxilium confugiendum eſt, quoties à contagio oritur morbus, ac poſt eruptionum retroceſſum, quo morbus exaſperatur. Prætereà nemo neſcit quanto felici ſucceſſu adverſus malignitatem adhibeantur (6). Commendantur etiàm inter revulſiva remedia in febribus malignis varia cataplaſmata plantæ pedum impoſita, frictiones, pediluvia, &c.

XXII.

Eductâ ſanguinis quantitate, quam vaſorum plenitudo, vel febris intenſio poſtulat, & vires ferunt, de emetico, vel purgante, vel de utroque cogitandum [modo ut vomitoria aut purgantia neceſſaria

---

(1) V. Pringle, Huxam, Monro.

(2) Hiſtoria epidemica Germanica.

(3) V. Gilchriſt. Mém. d'Edimbourg. tom. IV. tom. VI.

(4) V. Baglivi diſſert. de uſu, & abuſu veſicantium.

» (5) Il faut ſavoir, dit le célébre M. Fouquet, que les véſicatoires doi»vent être rejettées toutes les fois qu'il y a menace d'inflammation générale, »que la ſoif & la chaleur ſont conſidérable, que tout annonce l'éréthiſme, »qu'il y a une fiévre très-vive, un délire comateux occaſionné par la plé»nitude des vaiſſeaux du cerveau, d'yſurie, &c. Traité de la petite vérole »des enfans.» §. 73. pag. 217.

(6) Vide Fiſcher de febre miliari. Cap. V. »Licèt tantum, inquit, veſi»catorium panegyriſta haberi nolim, attamen cumulum elegiorum reticere »non licet, &c.»

judicentur) ne materies cachochymica primas infeſtans vias morâ deterior facta, morbum quoque deteriorem reddat. Quare ſymplex emeticum ſine morâ propinandum, quotiès æger crudos atque pravos humores habet in ventriculo; ut colligi poteſt ex nauſeâ, cibi faſtidio, cardialgiâ, oris amarore, ructibus nidoroſis, fœtidis, vomendique conatibus; imo ipſe quandoque bilis corruptæ vomitu; ac primis ſi ſtatim diebus excruciari deprehenditur, vel prædictis omnibus ſymptomatibus tentatur. Leni vomitorio ex ipecacuanhâ, vel oximel-ſcillit-, vel tartaro ſtibiato iu magnâ aquæ copiâ diſſoluto, corrupta hæcce materia omnino evacuanda eſt. Illa enim remedia poſt primum morbi inceſſum præſtantiora recenſeri debent, ac pluries repetenda ſi res urgeat. Tamen per remiſſionem quantùm fieri poterit erunt adminiſtranda; quod eò diligentiùs tenendum, quò in morbi typo aliquid remittentis invenietur... Illorum ope bilis è ſuis propriis conceptaculis exprimitur; vel foràs egeritur ſaburra in primis viis nidulans, quæ alias brevi cum chylo vehiculi vices explente ad ſanguinem appellens, per omnes vaſorum orbes diſtribuitur, & ſummam, inter morbi curriculum perniciem infert. »Pluriès nobis fuit facultas obſervandi (reffert »Illuſtr. *Lieutaud*) (1) in noſocomiis graſſante febre malignâ, quantum »diſcrimen ab adhibito, vel poſt habito hoc præſidio emergeret.» Imo & emeticum delapſo opportuno tempore, vel in quavis morbi ætate, uſque ſcilicet ad decimum vel duodecimum diem, & ultrà præcipere minimè dubitabat *Sydenhamus.* Nec latet praxi edoctos, quod plures ſomnolenti, circa morbi acmen, vel ſupremum gradum, hocce remedio omni aliâ ſpe præcisâ ex orci faucibus evaſerint. Magnâ cautione tamen illud adhibendum, aliquando illius noxius foret uſus; maximè ſi ſenſibilis ſit ſtomachus, & ſi decumbens fuerit naturâ bilioſus, refusâ ad ſtomachum bile, *Heurnius.* Si adeſſent imi ventris inflammationes, hypocondria valdè tenſa, doloroſa, & alia gravia ſymptomata, quæ etiam tantum oriri poſſunt ab irriratione productâ à pravis in ventriculo humoribus contentis.

XXIII.

Emeticis præcellunt purgantia, quando pravorum, & putridorum humorum calidâ colluvie inteſtina afficiuntur (2), quod profectò dig-

---

(6) Prax. med.

(2) De humorum depravatorum turgeſcentium colluvie ſic loquitur Ellerus; »cum bile corruptâ in inteſtinis accumulatâ, quæ flatibus fœtidis, ſpaſmo»dicâ abdominis tenſione, colicisque doloribus, & diarrhœâ, quandoque »ſpumeſcente olidâ indicatur, educenda ſtatim ex laxante debili, tamarin»dis, mannâ, cremore tartari, & rhabarbaro, evitando purgantia acria, &c, *Sect.* VI.

noſcitur ex dejectionibus putridis, abdominis dolore, & aliquâ elevatione, citra tenſionem notabilem atque renitentiam. Hæc autem elevatio, quæ cum validâ tenſione, renitentiâque conjungitur, fotu potiùs temperante ac relaxante indiget, quàm purgantibus, quæ ſolum levia, & pluribus doſibus exhibenda ſunt, poſtquam viſcera fotu &c. per aliquod dies fuerint temperata. Quod ſi materia cacochymica ſimul ventriculum, & inteſtina infeſtet, emetico cathartico utendum, quod feliciter plurìes *practicis*, *Patrique meo amantiſſimo*, ſæpiſſimè in ægris febre *putridâ malignâ* correptis ſucceſſit. (1). Quanquàm plurimùm inter *practicos* controvertitur, utrùm ſub febrium malignarum initio purgatio debeat inſtitui, & hanc omnino rejiciunt alii, aliique probant; haùd tamen in limine hæremus. Ideò cum multis autumamus tantam eſſe interdùm pravorum, putridorum humorum copiam in primis viis ſtabulantem, ut niſi præmiſſis clyſteribus, purgante medicamento tollatur, aut valdè inminatur; reliquam humorum maſſam inficiat, ut à naturâ quantùmvis Alexipharmacis, roborantibuſque medicamentis adjutâ ſuperari nequeat. Illa autem medicamenta primam tantùm regionem evacuantia ex benignioribus eligenda ſunt, caſſia nempè, tamarindi, manna, quibus ſociatur cremor tartari, vitando vehementia; vixque licet ad ſennam, & rhabarbarum tranſcendere, aut ſaltèm non niſi in exiguâ quantitate magna urgente cachochymia cæteris permiſcere, *Riviere*, (3). Ab illis tamen abſtinendum ineunte quacumque eruptione criticâ, vel ubi nonnulla imminentis in abdomine inflammationis ſigna, aliaque ſeſe produnt ſymptomata.

XXIV.

Quotiès nimius humorum impetus, excitatæ ſpirituum turbæ, varii dolores, &c. ſunt compeſcendi levia propinanda veniunt narcotica. Finitâ emetici operatione, & purgatione datur etiam lene diacodiatum, ut excitatus per hæc remedia tumultus ſopiatur. Quantùm uſum habeant narcotica ad ſedandas omnes quaſcumque turbas, præſertim illas quæ ab animi affectibus excitatæ fuerunt, videre eſt in Comment. Illuſtr. *Wieten*, §. 104; videri quoque poſſunt & illa, quæ § 202, & 229, & de illorum uſu & efficaciâ habentur. In omnibus caſibus ubi ſpaſmodicæ affectiones adſunt, ſummum remedium dant anodyna & narcotica. Ubi ergo anxietas eſt abſque ſignis inflammationis, tutò ad hæc confugere licet. Quantum autem boni ab horum uſu prudenti in morbis, ad anxietatem, & alia peſſima ſymptomata tollenda ſperari poſſet docuit *Sydenhamus*, qui intollerabilem anxietatem in febre putridâ varioloſâ nullo modo compeſci poſſe obſervavit, niſi narcoticis, & quidem ſæpe repetitis, ſi urgeret hoc ſymptoma: imo monuit

(1) Prax. med. lib. XVII. cap. 1.

plurimos hoc morbo periiſſe, quia his auxiliis deſtituti fuerant... Tam violentum obſervavit orgaſmum in his ægris, ut niſi his auxiliis compeſceretur brevi mors ſequeretur. Undè... non tantùm octavâ quâque horâ remedium narcoticum propinandum juſſit, verùm etiam voluit, ut ſemper præſto eſſet nova ejus doſis, ſi fortè recrudeſcens ægritudo, & anxietas illius uſum poſcerent (1). A fortioribus autem narcoticis eſſe abſtinendùm in delirio febrili, unanimi conſenſu ferè omnes *Medici* teſtantur, licet ſæpe cum felici ſucceſſu adhibeantur. In morbis malignis & in plurimis eorum circumſtantiis pulcherrimo effectu ſeſe commendare non ſemèl viſa ſùnt Illuſtriſ. Viris, *Pringle*, *Huxam*, *Monro* (2). Attamen obſervationibus innotuit cautè cum ipſis eſſe mercandum in febribus *Putridis malignis*, uti monet Celeber. *Tralles* (3).

XXV.

Depletis ſufficienter vaſis, & primis viis ab humorum depravatorum colluvie mundatis &c. ad remedia *Alexipharmaca* vulgò dicta tranſeundum eſt, quæ pro febris intenſione, ac malignitati, ægri debilitate, pulſus magnitudine, & ſanguinis ſtadio varianda. Nam quò febris eſt intenſior, eò temperatiora exhibenda ſunt remedia, quia tunc febris intenſio plus urget, quàm malignitas; febris è contra ſi fuerit levis cum pravis ſymptomatibus conjuncta malignitatem magis, quàm febrem urgere demonſtrat, quare tunc cardiaca temperata: imò & calida adminiſtranda, imprimis ſi pulſus fuerit parvus, & debilis &c. Inter hæc remedia, magnâ utilitate, & efficaciâ in curandis febribus *Putridis malignis* laudantur ſequentia; ſcilicet contrayerva ſerpentaria virginiana, theriaca, Kermes minerale, ambra cineritia, moſchus, præcipue vinum generoſum, camphora, kina-kina &c. &c... Hìc mihi fas erit de vino ipſamet verba Celeber. Frid. *Hoffmani*, proferre, quæ mirum in modum huic meæ Diſſertationis loco conducunt. »Et quidem, in febribus malignis vino nihil datur excellentius: malignitas »dignoſcitur ex motuum & virium defectu; nec-non valde depreſſâ ſan»guinis ſpirituaſcentiâ, ex tardo circulo ejuſdem, quâ cuncta diſpoſi»tionem quamdam cruoris ad putredinem deſignant. Igitur in iis mor»bis reſtaurare vires, ſpiritus erigere, circulum ſanguinis liberum red»dere, tranpirationem movere expedit, quòd autem vinum hæc omnia »præſtet, nolumus pluribus authoritatibus, quibus practicorum libri »ſunt pleni confirmare, ſed confugimus ad experientiam ſolam, quâ

---

(1) Sydenham ſect. I. cap. IV.

(2) Quantum utilitatis profuere in febrib. *Putrid. malignis* levia narcotica ad vigilias, anxietates, deliria, dolores, & alia gravia ſymptomata compeſcenda pluries in praxi obſervavit Pater meus amantiſſimus.

(3) Tralles de uſu opii, ſect. 2 p. 182.

»nobis conſtat plures ex malignis evaſiſſe ſolius vini moderato uſu (1). »(2).» *Hoffmani* ſententiæ ſuffragantur Celeberr. *Huxamius* & *Pringlius*, qui practicorum non infimæ notæ veſtigia præmentes, ipsâque experientiâ edocti, vini uſum magnis laudibus extulerunt (3). Eximius iſte (4). Practicus diſſertè aſſerit ipſiſſimam medendi rationem, mancam ſæpè evaſiſſe dum ſincera adhibebatur in curandis febribus malignis caſtrorum ; majoris verò efficaciæ fuiſſe cum aſſiduò vini generoſi uſui jungeretur.

XXVI.

Inter alexipharmaca non infimum locum obtinet theriaca, quidquid in contrarium arguant aliqui, qui in febrium malignarum curatione theriacam ut damnoſam maxime reſpiciunt ; ſed malè cum contrarium apertè demonſtrat proficuus, atque quotidianus ejus uſus in malignarum curatione. Horumce Medicorum ſententia non nobis arridet ; idcircò contendimus ab iſtarum medelâ penitùs theriacam non eſſe proſcribendam, cum ejuſdem uſus à clariſſimis fere omnibus practicis in malignarum medendi methodo adhibeatur maximo cum ſucceſſu, ut videre eſt in infinitis eorum obſervationibus. Haùd inutilem opem præſtat in aliis febribus mali moris : virtute enim gaudet paregoricâ, cephalicâ, cardiacâ, &c.

XXVII.

Quod verò ad camphoram ſpectat, cum nitro maritatam in febre *Putridâ malignâ* non ſatis commendandam prætermittere nefas eſſet, ut autumant permulti. Aliis alexipharmacis, cum felici ſucceſſu teſte experientiâ aſſociatur magnâ putredinem reſiſtendi vi ; ſimùl egregiè diſſolvit, & impedit ſtaſim iſtam inflammatoriam, quam corrupti cruoris decubitus formare ſolet (5). Eximias ipſius dotes in febribus *Putridis malignis* meritò celebrarunt indubiæ fidei obſervatores, *Hoffmanus*, *Meadiuſ*, *Verlhoſius*, *Tralleſius*, *Pringlius*, *Locherus*, & *Monrous*. Summoperè quoque in malignis camphoram commendant Illuſtriſſimi Viri, *De Lamure*, *Le Roy*, *Barthez*, *Cuſſon* & *Fouquet*. Horumce ideò omnium clinicorum plaſſitis aſſentiri non dubitamus, quanquam camphoræ uſui probatiſſimo non favet Celeber. *De Haën*, & Medici quidam alii præjudiciis obcæcati, & camphoræ oſores inexperti, &c. de ipſius uſu in art. ſeq. pauca adhùc dicemus.

---

(1) Hoffmani diſſertatio Phyſico-medica IX.

(2) »Quotquot modicè vino utuntur in febribus faciliùs convaleſcunt, vires »conſervant, & in priſtinum ociùs reſtituuntur». Helmont. de febr. cap. XII,

(3) »V. Fiſcher de febr. mili. Cap. V. & addimenta §. 129. 130.

(4) Pringlius. Med. d'armée. Tom. II. p. 130. 131.

(5) Eller ſect. VI.

XXVIII.

Præterea etiam ad virium refectionem magnopere laudantur odoramenta. Inter refectiones (apud *Mindererum* (1)) commendandi ſunt odores jucundâ exhalatione ſpiritus plurimum reficientes. Proindè lintea aceto roſato, calendulato, aut ſambucino, additâ modicâ camphorâ, parietibus extendenda, aut flabello conſimili, aceto tincto ventus coram ægri facie concutiendus, aut flabellandus; & acetum de rubo ideo ſpongia exceptum... vel aquæ roſatæ admixtum, intinctâ medullâ panis tritici recentis naribus ſæpè admovendum: Mirum quantum hæc reficiant. Camphora aquæ roſarum immergitur, & ex hac aquâ linteum madeſcit, quo frons, nares, tempora, labia, & cordis Regio abſtergitur (2). Inſuper multi commendant epithemata cordialia ex herbis, aliiſque ſimplicibus cordialibus &c; & vinum Rhenanum cum aqua acidula mixtum, cinnamomo conditum, uſtulatum, Clariſſimi Viri *De Haën*, *Barthez*.

XXIX.

Ad corticem Peruvianum pedem tandem promoveamus, in febribus *putridis malignis*. Auxilium maximè efficax quo glorietur ævi noſtri medicina (3). Nec non iſta hujuſce omnium aliarum Celeberrimæ Univerſitatis Academia; ipſum tanquam tutiſſimum cujuſlibet malignitatis antidotum, eximium tonicum, corroborans, cardiacum, nervinum, &c., cum multis habemus. Itaque, modo priùs à pravis ſordibus expurgatæ primæ viæ, ad ipſum confugiendum eſt, præcipuè quoties febris *putridæ malignæ* ſymptomata periodicè exacerbantur, ac remittuntur, apparentque putredinis ſigna. Cum catharticis ſæpè, & aliis remediis combinatur: in exhibitione ſemper optimum eligendum. Apparentibus exanthematibus ad gangrennam vergentibus, etiam gangrenoſis (4) tunc maxime conducit illius corticis uſus exhibitus ab unâ unciâ ad duas, intra viginti quatuor horarum ſpatium, ut ſuadet Celeber. *De Haën* (5), modo non inflammatione, tenſione, & dolore laborent hyppocondria. Quàndo vires debilitantur, ut ſummum cardiacum, corroborans, &c... merito laudatur; ac imprimis tan-

---

(1) De peſte. cap. 16. 8: d. Diemerbroek.

(2) V. Varia auxilia ad vires vitæ fulciendas quibus utitur Fiſcher, loco citato.

(3) V. Lions tent. chymic. med. de putrefactione. Illuſtr. Reſtaurant Doctor Monſpelienſis primus ſub finem ſæculi elapſi Corticem maxima doſi adhibuit.

(4) Maximo cum effectu in tali caſu kinam-kinam adhibuere Illuſtr. De Lamure, Le Roy & Brouſſonnet. V. Pringlium tom. II. p. 127.

(5) Ratio med. part. III. cap. XII.

quam eximium in febre *putridâ malignâ* antiſceptium cum decocto ſerpentariæ virginianæ, angelicæ, contrahyervæ maritatum, ut probant obſervata *Pringlii*, *Elleri*, *Huxamii*, *Monroi*, quibus in praxi ſemper ſucceſſit. Hùc etiam veniunt mixturæ ſic dictæ ſalinæ conflatæ ex alkalinis ſalibus, variis acidorum generibus ſaturatis, uti ſunt antiemeticum *Riverii*, ſpiritus *Mindereri*, quæ in curandis febribus malignis, jure meritò celebrantur ab Illuſtriſſimis viris *Pringlio*, *Ellero*, *Monro* : illis & aliis autem diverſis auxiliis immorari, & quantis cautelis opus eſſe in remediis alexipharmacis adhibendis vetat inſtituti noſtri ratio.

XXX.

Aſt verò præmiſſis hiſce generalibus de illo periculoſiſſimo morbo dictis, adhùc valdè incumbendum diarrhœæ ſeu alvi fluxui in febribus *Putridis malignis* frequentiſſimo (1) quo non raro ſolvuntur. Maxima tamen neceſſaria eſt in eo Medici prudentia. Sedulò diſtinguendum an diarrhœa ſit colliquativa, aut critica; an ægrum non debilitet, & nulla excitet tormina : contrà an ſublevet &c. Si præpoſterè enim cohibeatur iſte fluxus, materies morbifica intus retinetur. Si verò non cohibeatur vires dejicit, ægrumque ſæpe ad interitum ducit. In illius curatione ſic cum *Riverio* procedendum. Si ita moderata ſit diarrhæa ut vires non dejiciat, è contra allevet; cohibenda non eſt, ſed ſinenda. Si vero immodicus ſit alvi fluxus, & vires admodum dejiciat &c. colliquativus eſſe conſuevit, & audacter cohibendus ne ægrotum ad mortem conducat; quod ſumma efficacia præſtabit theriaca recens, vel laudanum opiatum &c.

Quantum ſit utilitatis in morbis acutis, & malignis urinæ profluvium, quomodo ea ſit provocanda nullus Medicorum ignorat; itaque de hocce argumento nulla dicemus.

XXXI.

Quod ſi ſudor aliquoties tempore debito foras ſeſe prodat cum ægrotantis levamine, & ſufficiens non ſit penitus ad febrem auferendam, remediis provocandus (*quo natura vergit eò eſt vergendum ex Hypp.*)

---

(1) »In febribus malignis pendentibus ſive ab inflammatione, ſive ab ereſypelate ventriculi, eâ præ cæteris parte, quâ reſpicit cavum jecoris prope »fellis veſicam, ubi intercepto bilis curſu graviſſima naſcuntur accidentia, »v. g. in verâ lypiriâ. Hollerius tunc putat; quoniam hujus febris cauſa bilis »eſt circa ſua excretoria intercepta, & inflammationem parit circa ventriculum, » cavum jecoris, ac meſenterium; diarrhœam ſemper conferre poſſe, imo brevi »deſperatum iri ægros, niſi irritata natura fluxum pro moveat, ideo ſanant : »nititur enim opinioni *ſenis magni Div. Hypp.* coac. 7. lib. 4. dum ait, *Lypiriæ »febres non ſolvuntur niſi cholera ſuperveniat.* V. Bagliv. lib. 1. prax. med.

quæ minori calefaciendi vi prædita initio ſemper eligenda. Præterea fere omnes practici cenſent in febre *Putrida maligna* ſudorem eſſe excretionem magnopere optandam: imprimis in petechiali (1) à contagio, vel ab oppreſſione virium orta. Nam ut notat, *Sthalius*, ſudoris & tranſpirationis viæ videntur opportuniſſimæ, & maximæ obviæ ad eliminandam materiem morbificam, ſive intus ſuſceptionem miaſmatis maligni, corporis noſtri poros cutaneos, & inſenſiles meatus probabiliter ſubeuntis. Idcirco ſi in morbi initio (2) ſumma & ſat manifeſta non videatur malignitas, natura ad diaphoreſim vergat, & adſit imminens in pulmonis anguſtiis obſtructio (ut ſit in febribus malignis catharralib.), & neque generaliter nec ſint intenſiora ſymptomata, nec nimii febris, & calor; tunc tantum præſcribendi erunt, in die alternis vicibus cum ptiſannis aſſuetis, Cyati aliquot, ex decocto, aut infuſo diapnotico. v. g. Horis matutinis, ubi febris calor paulo remiſſior eſt, infuſum theiforme ex radicibus ſalſæparillæ, chinæ, caryophillatæ, polipodii, & ſimilibus, adjectâ in refractâ doſi caſſiâ ligneâ hauriendum ſuademus; poſtquam guttulas 40. vel 60. & ultra mixturæ cujuſdam ex eſſentia radic. pimpinellæ albæ, & vincetoxici, in hauſtulo aquæ fontanæ adſumpſit æger, ut ſuadet *Eller*. Si evidenter primis morbi diebus ex oppreſſione virium prodeant ſymptomata, propinanda erunt efficaciora ſudorifera, v. g. mixtura tonico-nervina *Sthalii*, in formulâ ſequenti aſſignata, à 20. bis in die, uſque ad 50. guttas. Recipe ſpiritus c. c. rectificati unci. j. tincturæ antimo. regul. unci. ij. miſc. & in vitro probè obturato conſerva. vel recipe theriacæ (3) veter. ſcrupulum ſemiſſem, vel ſcrupul. unum pro bolo matutinis, veſpertinis horis propinato, additis etiam gr. 10. ſpirit. volatil. c. c. ſi ſumma ſit proſtratio, (4), vel alia quæ eligenda ſunt ex alexipharmacis art. xxv. poſitis; vel aliis quæ è triplici regno depromuntur. Cum illis etiam eodem tempore uſurpanda erunt ſequentia; nempe ſerum lactis acidulum cum

---

(1) »Plurimi febre petechiali laborantes, medicinâ calidâ, & continente »ſudorum expreſſione curati fuerunt, ex quibus vix tertia pars ſuperſtes eſt. »Glaſ. comment. X. de ſudorum evacuatione.

(2) Obſervavit Geſner ſudore ope ſudoriferum provocatâ initio, morbum ex radicibus aufferri poſſe, v. g. noſocomiorum, aut carcerum ſive deleterii, aut materiei morbificæ eliminatione, ſive reſolutione, quâ mutaretur humorum conſtitutio.

(3) Inter ſudorifera præſtantiora theriacam habent veteres, & quidam recentiores; illius uſum eſſe adhibendum ab Illuſtriſſ. Medicis in febre maligna epidemicâ vicos propè maris mediteranei ſtagna poſitos graſſante & retulerunt mihi, Celeberr. in arte Medicâ non indubiæ fidei obſervatores, & hujus urbis Celeberr. Viri. (4) Pringle.

aceto paratum, vel hordei, & panis quibus miſcentur vel ſambuci rob, vel oximel ſcillit; vel denique alia, quæ pro potu ordinario in dieta præſcripſimus.

XXXII.

Hiſce de ſudore conſideratis, notari meretur cum Celeber. *Ellero*, licet ſalutaris hæcce (per cutim) in malignis febribus evacuatio critica, non artis ſed providæ naturæ opus reputandum ſit; teſte experientiâ tamen, naturæ languidæ motus, in febris declinatione ſuffulcire aliquo modo convenit per remedia analeptica, corroborantia, tonica, quæ iſtam per cutim evacuationem facilitare ſolent: proficuum valdè in hoc caſu remedium (1) quod expertus vir ſupra laudatus. Contraindicantur remedia diaphoretica à viribus præcipue exolutis; cum per ſudores præſertim largiores exhauriatur, & colliquetur æger, in ſudoribus ſymptomaticis, quos magis ſupprimere, quam fovere præſtat &c. pro debito illorum uſu ſequentes obſervandæ cautellæ. Primæ viæ debent eſſe emundatæ, & à vitioſorum illuvie humorum liberatæ. Nam in materiâ nimis copioſâ, minus tuta ſunt diaphoretica, cum metus ſit, ne cutis ſpiracula occludantur. Ut vero efficatior horumce remediorum reddatur actio optimè cum opio ſunt maritanda; ſumptis, corpus plus ſolitò tegendum eſt, ut pori magis pateant, humoreſque magis fundantur. Durante ſudore ſi æger ſitiat potus ſupra dictus largior concedi poteſt, cum ſudorem coadjuvet, præſertim ſi calidus ſit &c. Non incongruum tandem denuò dicere, horumce variorum auxiliorum (in noſtrâ generali febris *Putridæ malignæ* curatione poſitorum) indicationibus & contraindicationibus, nec-non illorum delectui maximam eſſe præbendam medici attentionem.

XXXIII.

Contra febres malignas cautio ex naturâ omnium tutiſſima eſt fuga à locis infectis, ad ſana valde diſtantia, & tardus ad infecta jam purgata reditus. Sani infectionem præcavent vitando aërem inquinatum, vel corrigendo focis, ventillatione & antiſcepticis; ſalivam ope maſticati gummi, mirrhæ, in locis infectis expuendo: vitando mæſtitiam, curam, cruditatem, defatigationem, calorem, & libidinem, ad hilaritatem bibendo (*Home*). Medico magno fortique animo eſſe, & varia antiſceptica, in viſitandis ægris ſemper ſecum habere convenit.

---

(1) »Recipe cort. peruv. opt. unci. j. cort. caſcarill. pſat. & rad. ſerp. virg. »ana ſemi-unciam, croc. ſemi-drag. M. F. infuſio fortis per horas 4. vel 6. » in vino albo Gallico unci. XVI. colaturæ add. aqu. cinnamom. unci. ij. ſyrup. »acetoſ. citr. ſemi-unci. M. D. ad coclear. j. ter vel quater de die, quo re- »medio vitæ vires langueſcentes excitantur, & febris malignæ ſuperſtites »quiſquiliæ penitùs per halituoſam tranſpirationem eliminantur. Eller ſect. VI.

XXXIV.

De curâ particulari, harumce omnium febrium (de quibus art. III. & X. ſumus locuti) noſtram *Putridam malignam* referentium contendimus generalem iſtam medendi methodum a nobis traditam (cum quibuſdam modificationibus, ſcilicet pro indicantium varietate, ſymptomatum vehementiâ, ægri conditione, ſtatuque morbi &c. variatam) nihil ſingularis requirere, & pariter in illis locum habere: adeoque dicta ſufficient... Ut tamen generalis febris noſtræ *Putridæ malignæ*, cui finem facimus, medela aliis ejuſdem claſſis applicari poſſit, debet ſimul cognoſci; quænam functionum læſiones adſint, & qualis degeneratio ſolidarum & fluidarum partium obtineat; inde enim indicantium varietas naſcitur, ut rectè inſtituatur curatio.

HUNC GRAVISSIMUM MORBUM, de quo quantùm ferebat rei dignitas non ediſſeruimus; curis ulterioribus exagitandum, & incudi reddendum aliis in Arte peritiſſimis relinquimus.

FINIS.

DISPUTATURI.

R.R. *D.D. PROFESSORES REGII.*

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*
R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*
R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*
R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.
R. D. CAROLUS LE ROY.
R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.
R. D. ANTONIUS GOUAN.
R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus Profeſſor Emeritus.*

ERRATA.

PAG. 6. lin. 20. re vera, *leg.* reverà.
Pag. 11. lin. 4. motbi, *leg* morbi.
Pag. eadem lin. 35. Not. 2. enrandi, *leg.* curandi.
Pag. 16. lin. 20. dintius, *leg.* diutiùs.
Pag. eadem primæ Notæ. lin. 1. Gilbrih. *leg.* Gilchriſt.
Pag. 18. Not. 3. lin. 40. Huernius, *leg.* Heurnius.
Pag. 19. lin. 21. 2pparentibus, *leg.* apparentibus.
Pag. eadem lin. 32 mergit, *leg.* emergit.
Pag. 23 lin. 9. iu, *leg.* in.
Pag. 24. lin. 15. imminatur, *leg.* imminuatur.